



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De  
Imitatione Christi Libri Qvatvor**

**Thomas <von Kempen>**

**Antverpiæ, 1617**

Cap. XI. De paucitate amatorum Crucis Iesv.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](#)

runt: sed gloriam, quæ à solo Deo est,  
volunt: & Deum in se, & in omnibus  
Sanctis, laudare super omnia cupiunt,  
& semper in id ipsum tendunt.

*s* Esto igitur gratus pro minimo, &  
eris dignus maiora accipere. Sit tibi  
minimum, etiam pro maximo: & ma-  
gis contemptibile, pro speciali dono.  
Si dignitas datoris inspicitur, nullum  
datum paruum, aut nimis vile videbi-  
tur. Non enim paruum est, quod à  
summo Deo donatur. Etiam si pœnas  
& verbera dederit, gratum esse debet:  
quia semper pro salute nostra facit,  
quidquid nobis aduenire permittit.  
Qui gratiam Dei retinere desiderat,  
sit gratus pro gratia data, patiens pro  
ablata. Oret, ut redeat: cautus sit &  
humilis, ne amittat.

## CAP. XI.

*De paucitate amatorum crucis IESV.*

**I**HABET Iesus nunc, multos ama-  
tores regni sui cælestis, sed pau-  
cos baiulatores suæ crucis. Multos ha-  
bet desideratores consolationis, sed  
paucos tribulationis. Plures inuenit  
socios

socios mensæ, sed paucos abstinentiæ.  
Omnes cupiunt cum eo gaudere, pau-  
ci volunt pro eo, aut cum eo aliquid  
sustinere. Multi Iesum sequuntur, vs-  
que ad fractionem panis: sed pauci <sup>Luc. 9.</sup> 22.  
vsque ad bibendum calicem passionis.  
Multi miracula eius venerantur, pau-  
ci ignominiam crucis sequuntur.  
Multi Iesum diligunt, quamdiu ad-  
uersa non contingunt. Multi illum  
laudant & benedicunt, quamdiu con-  
solationes aliquas ab ipso percipiunt.  
Si autem Iesus se absconderit, & mo-  
dicum eos reliquerit, aut in querimo-  
niam, vel in deiectionem nimiam  
cadunt.

2 Qui autem Iesum propter Iesum,  
& non propter suam propriam ali-  
quam consolationem diligunt, ipsum  
in omni tribulatione & angustia cor-  
dis, sicut in summa consolatione, be-  
nedicunt. Et si numquam eis conso-  
lationem dare veller, ipsum tamen  
semper laudarent, & semper gratias  
agere vellent.

3 O quantum potest amor Iesu <sup>Phil. 2.</sup>  
purus, nullo proprio commodo, vel  
amore permixtus! Nónne omnes  
merce-

mercenarij sunt dicendi, qui consolations semper quærunt? nónne amatores sui magis, quàm Christi probantur, qui sua commoda, & lucra semper meditantur? Vbi inuenietur talis, qui velit Deo seruire gratis?

4 Rarò inuenitur tam spiritualis aliquis, qui omnibus sit nudatus. Nam verum pauperem spiritu, & ab omni creatura nudum quis inueniet? Pro-

*Prov. 3, 1* cul & de vltimis finibus pretium eius. Si dederit homo omnem substantiam suam, adhuc nihil est. Et si fecerit pœnitentiam magnam, adhuc exiguum est. Et si apprehenderit omnem scientiam, adhuc longè est. Et si habuerit virtutem magnam, & devotionem nimis ardenter, adhuc multum sibi deest: Scilicet vnum, quod summè sibi necessarium est. *Quid*  
*Mat. 16* illud? Ut omnibus relictis se relinquat, & à se totaliter exeat, nihilque de priuato amore retineat. Cumque omnia fecerit, quæ facienda nouerit, nil se fecisse sentiat.

5 Non grande ponderet, quòd grande æstimari possit: sed in veritate seruum inutilem se pronunciet, sicut *Ve-*  
*ritas*

ritas ait: Cùm feceritis omnia, quæ *Lue. 17.*  
præcepta sunt vobis, dicite, Serui inu-  
tiles sumus. Tunc verè pauper, & nu-  
dus spiritu esse poterit, & cum Pro-  
pheta dicere: *Quia vnicus & pauper Psal. 24.*  
sum ego. Nemo tamen isto ditior, ne-  
mo potentior, nemo liberior: qui se  
& omnia, relinquere scit, & ad infi-  
mum se ponere.

## CAP. XII.

*De regia via sanctæ Crucis.*

**D**URVS multis, videtur hic ser- *Mat. 26*  
mo: Abnega temetipsum, tolle  
crucem tuam, & sequere Iesum. Sed  
multo durius erit, audire illud extre-  
num verbum: Discedite à me male- *Mat. 25*  
dicti, in ignem æternum. Qui enim  
modò libenter audiunt, & sequuntur  
verbum crucis; tunc non timebunt *Pſ. III.*  
ab auditione æternæ damnationis.  
Hoc signum crucis erit in cælo, cùm  
Dominus ad iudicandum venerit.  
Tunc omnes serui crucis, qui se Cru-  
cifixo conformauerunt in vita, acce-  
dent ad Christum iudicem, cum ma-  
gna fiducia.

*2 Quid*